

uti hic contigit; nam et praecedens *περιεχομένη* in τὸ *felicitatem eternam* definit. Ceterum sunt etiam, quae e Codice restituas. Ita v. g. non multo post pro *adeo vereque damnata est* legendum sane *adeo ubique damnata est*, et in Operis extremo pro *cultum istum interpretari* reponendum *decorem istum interpretari*.

DLXVII.

R. 3339 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 80. f. min. nitide exaratus, minio distinctus et initiis picturatis inscriptus est: *Incipit prologus Summe wilhelmi parisiensis de fide et legibus*. Initium est: *In ordine sapientialium diuinaliumque scientiarum &c.* Pars brevior de *Fide* ita init: *Incipiamus ergo cum dei adiutorio et dicamus. Quia fides quam hic stabilire intendimus &c.* Pars longior de *Legibus fol. 11.* ita: *Jam igitur expediuimus nos auxilio dei de his que proposueramus &c.* Adest *περιεχομένη* in Exemplo superiori omiffa, rite item legitur *adeo ubique pro adeo vereque*, sed in fine prave cum editis *cultum istum interpretari* pro *decorem istum*. Ad calcem: *Completus est cum dei laudibus Tractatus de fide et legibus domini wilhelmi (Arverni) Parisiensis. 1457.* Cum Indice exacto, post quem denuo: *Anno domini M°. CCCC°. LVII°. In die S. bonifacij martiris.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

DLXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 623 Folior. 184. f. probe scriptus et rubricis distinctus insignitur *Wilhelmus parisen. de sacramentis*. Post doctam magna fama Theologiam ad Infulas Parisinas adsumtus fuit *Guilelmus Alvernas* noster, easque morte posuit a. 1249. Inter praecipua ejus Opera, quae *Phil. Feronius* Canonicus Carnot. junctim *Aureliae* 1674. f. edidit, praefens est, quod incipit: *Cum inter sapientiales spiritualesque scientias, que diuine seu diuinales uocantur &c.* et finit: *Gracias tamen largitori omnium bonorum Deo agimus, si uel modicam occasionem, ut sapienciores fiant, sapientibus damus.* Addidit Librarius: *Explicit liber de sacramentis S. Wilhelmi quondam Episcopi Parisien.* sed induxit τὸ S. et minio domini adiecit. Lectio Textus probe conspirat cum Edit. *suprac. T. I. P. 2. p. 407.*

DLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 615 XIII. Folior. 278. f. maj. per duas columnas nitide, sed minuto et implexo charactere perscriptus, rubricis distinctus, et inter XVII. Volumina, quae *M. Andreas de Weytra*, ut jam et alibi memoratum est, ad *Librariam Collegij ducalis inter viuos* donavit, complectitur *Librum I. et II. Sententiarum seu Summae Alexandri de Hales seu Alensis O. M. dicti Parisiis Doctoris irrefragabilis* et a.

L

1245.